Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



70

corripies me et mortificabis me: ecce in pace amaritudo mea
amarissima. Tu autem eruisti animam meam ut non pe-
ricliteris post tergum tuum omnia peccata mea. Quia non
infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te. Non exspe-
ctabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. Vi-
vens vivens ipse confitebitur tibi sicut ego hodie. Pater fi-
liis notam facit veritatem tuam. Domine salvum me fac et
psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae in do-
mo domini. Canticum Anne matris beate Marie 1 Reg 2°
Exultavit cor meum in domino: et exaltatum est cornu
meum in deo meo. Dilatatum est os meum super ini-
micos meos quia laetata sum in salutari tuo. Non est sanctus
ut est dominus: neque enim est alius extra te: et non est fortis sicut
deus noster. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.
Recedant vetera de ore vestro: quia deus scientiarum dominus est: et ipsi
praeparantur cogitationes. Arcus fortium superatus est: et
infirmi accincti sunt robore. Repleti prius panibus se
locaverunt et famelici saturati sunt. Donec sterilis peperit
plurimos et quae multos habebat filios infirmata est. Dominus
mortificat et vivificat: deducit ad inferos et reducit. Do-
minus pauperem facit et ditat: humiliat et sublimat. Suscitans
de pulvere egenum: et de stercore erigens pauperem ut
sedeat cum principibus: et solium gloriae teneat. Domi-
norum sunt cardines terae: et posuit super eos orbem. Pedes
sanctorum suorum servabit et impii in tenebris conticescent. Quia
non in fortitudine sua roborabitur vir. Dominum formidabunt ad-
versarii eius: et super ipsos in caelis tonabit. Dominus iudicabit
fines terae: et dabit imperium regi suo et sublimabit cor-
nu. Canticum moysi et filiorum israel. Cantemus
domino gloriose enim magnificatus est: equum et 1 Exo 15
ascensorem eiecit in mare. Fortitudo mea et laus
mea dominus: et factus est mihi in salutem. Iste de-
us meus et glorificabo eum: deus patris mei et exaltabo eum.
Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius. Currus pha-
raonis et exercitum eius eiecit in mare. Electi principes
eius sublevati sunt in mari rubro. abyssi operuerunt